

esse prius natura sua actione, per se patet; ergo auxilium prævium efficax est prius natura comitante. Ex quo etiam intelligitur hæc duo auxilia non dici efficaciam, quia aliquod eorum, solum et per se spectatum, satis sit ad inducendum effectum, sed quia unumquodque eorum est efficax in suo ordine, et non separatur ab effectu, quamvis necesse sit ambo conjungi, quia nec principium agit sine actu, neque actio esse potest nisi a principio; et ita, ut actus nostræ voluntatis fiat, necesse est ut ab aliquo principio gratiæ efficaci, et per actualem ac proinde efficacem influxum fiat.

4. *Dividitur auxilium efficax ex parte termini propter quem datur.* — Quarto, potest, juxta dicta, dividi auxilium efficax ex parte termini proximi propter quem datur; nam quoddam est proxime efficax respectu motuum excitantis gratiæ, aliud est efficax respectu priorum actuum humanorum gratiæ cooperantis. De hoc posteriori membro proprie intelligitur doctrina de gratia efficaci ab Augustino tradita, et a Theologis ventilata, et in eodem sensu proprio de illo agimus in toto hoc libro; tamen, quia membrum etiam primum in bono sensu verum est, ideo breviter est explicandum. Diximus enim in libro 3 motus gratiæ excitantis supernaturales esse, et fieri effective a nostris potentiis. Hinc ergo aperte sequitur indigere nostras potentias auxilio supernaturali gratiæ ad illos actus efficiendos, quia nihil supernaturale possunt nostræ potentiæ facere suis viribus naturalibus cum solo concursu naturali, quod est per se notum, si termini intelligantur. Et æque procedit, sive actus libere, sive necessario fiant, quia supernaturale auxilium non tantum requiritur propter libertatem, sed maxime propter supernaturalitatem actus. Ergo, licet motus gratiæ excitantis sint necessarii, ad efficiendos illos est nobis necessarium auxilium supernaturale; illud autem auxilium, respectu talis motus, efficax est, quia nunquam separatur a tali actu, quod tantum diximus esse de ratione auxilii efficaciis, supposita generica ratione auxilii. Assumptum probatur, quia vel talis motus in nobis fit, vel non fit: si non fit, nullum auxilium ad illum efficiendum nobis datur, quia motus auxilii excitantis ex genere suo est primum gratiæ supernaturalis donum, ut libro 3 vidimus. Si vero fit in nobis talis motus, a nobis etiam, saltem ex necessitate, operantibus fit; ergo auxilium, quod tunc nobis datur, non separatur a suo effectu; imo

hæc efficacitas facilius intelligitur in auxilio ad hos actus, quia, cum illi non sint liberi, optime habere possunt causam ita efficacem, ut illi resisti non possit quoad tales motus, ac subinde potest esse efficax physice, et cum absoluta necessitate, quia non efficax actus liberi, sed necessarii.

5. *Inferitur auxilium sufficiens ad unum esse efficaciam respectu alterius.* — Ex hac doctrina, inferunt aliqui, auxilium sufficiens ad unum actum supernaturalem, semper esse efficaciam respectu alterius. Ita tenet Medina 1. 2, quæst. 109, artic. 10, in ultimis dubitationibus ad 1; sequitur Alvarez, disput. 87, num. 12, et tota disput. 80. Ratio in summa est, quia auxilium sufficiens est actuale; sed auxilium actuale non est in nobis sine actuali operatione; ergo semper est efficax ad aliquam operationem, saltem imperfectam, licet respectu alterius perfectæ sit tantum sufficiens. Confirmatur, quia auxilium sufficiens est excitans; sed excitatio hæc fieri non potest sine actu vitali: ergo. Verumtamen hæc sententia dupliciter potest intelligi, primo de gratia efficaci tantum ad actum necessarium ipsiusmet gratiæ excitantis, et sic procedit ratio facta, et est res clara. Secundo, intelligi potest de alio effectu, qui et sit actus distinctus a motu gratiæ excitantis, et sit etiam actus liber, et hunc posteriorem sensum insinuant dicti auctores, tum in exemplo attritionis quod inter alia ponunt, dicuntque auxilium, quod ad illam datur, respectu illius esse efficaciam, ad contritionem vero esse sufficiens: attritio autem actus liber est, cum sit dispositio de se remota, et cum Sacramento possit esse proxima ad gratiam; tum ex testimonio Isai. 55, in quo fundantur: *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui.* Ex quibus verbis colligi volunt vocationem internam, qua Deus alloquitur animam, vacuum non esse, aut sine fructu, sed semper habere in homine aliquem effectum, licet non semper habeat ultimum, quem Deus intendit, respectu cujus sæpe est sufficiens, et non efficax. Sentiant ergo vocationem internam semper habere aliquem effectum ab ipsa distinctum, qui sit aliquis spiritalis fructus, qui non potest esse nisi aliquis supernaturalis actus liber, quia in hujusmodi actibus fructus spiritalis consistit, et nullus videtur esse alius proprius effectus gratiæ excitantis.

6. Verumtamen in hoc sensu, necessarium non est omnem gratiam sufficientem esse ef-

ficacem quoad aliquem actum vel effectum ab ipsa distinctum. Probatur primo ex Scriptura, 2 Cor. 6: *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, quæ exhortatio supponit posse gratiam Dei, ex se sufficientem, ex parte hominis vacuum reddi: unde 1 Cor. 15, de se ait idem Apostolus: *Gratia ejus in me vacua non fuit*; et Prov. 1, absolute dicitur: *Vocavi, et non respondisti; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Desperavistis omne consilium meum, et increpationem meam neglexistis*, quæ verba aperte significant posse hominem, a Deo vocatum interius, omnino excitationem abjicere, ita ut nullum vel minimum effectum in illo habeat, præter ipsam excitationem, quæ a vocatione non distinguitur. Ratio autem est, quia vocatio interior, etiamsi sit proxime sufficiens ad aliquem actum, non imponit necessitatem, nec determinat voluntatem ad illum, ut infra videbimus: potest ergo voluntas (ut Concilium Tridentinum docet) pro innata libertate illam abjicere, utique omnino, et in nullo illi consentiendo, quia eadem ratio est de toto effectu libero, sive perfecto, sive imperfecto. Et confirmatur inductione: nam potest quis interius vocari ad fidem, et nullam voluntatem credendi liberam, vel perfectam, vel imperfectam, habere, et vocari ad poenitentiam, et non habere contritionem, nec attritionem, et sic de aliis. Neque hoc est contra efficaciam verbi divini interni (etiamsi de illo demus intelligi testimonium Isaiæ, quod nunc expendere non est necesse), quia Deus ipse vult permittere homini ut sua libertate utatur, eique omnino resistat, si velit.

7. Fatemur tamen interdum fieri posse, ut gratia, efficax ad unum actum liberum, dispositionem aliquo modo ad alium meliorem, sit gratia tantum sufficiens ad illum meliorem; si tamen recte consideretur, non est gratia sufficiens proxime, sed remote; nam vocatio ad attritionem, etiamsi sit congrua, et efficax ad attritionem ipsam, non est proxime sufficiens ad contritionem; sed indiget homo attritus nova vocatione, et excitatione interna perfectiori ad contritionem; tamen, quia per attritionem se disponit ad illam, eamque aliquo modo mereri potest seu impetrare, ideo vocatio congrua ad attritionem dici potest remote sufficiens ad contritionem. Et hinc fieri potest ut vocatio, quæ postea datur ad contritionem, non sit congrua, seu efficax, quia hæc non semper impetratur per attritionem, sed est novum beneficium Dei mere gratuitum, ideoque optime potest vocatio efficax ad attritionem,

esse tantum remote sufficiens ad contritionem, idemque est de similibus. Denique, inter ipsos etiam motus gratiæ excitantis, fieri potest ut unus excitet alium, ut fortis representatio poenarum inferni excitat timorem indeliberatum, et illustratio circa excellentiam gloriæ excitat motum desiderii, etc., et tunc auxilium proxime efficiens primum actum dici potest causa secundi, non proxima, sed remota, in genere propriæ causæ efficientis physice; tamen eo modo, quo est causa, semper est efficax, et non tantum sufficiens, quia cum isti motus non sint liberi, sed necessarii, nunquam illud auxilium est sine utroque effectu, quia actus secundus ex primo naturaliter consequitur, absque deliberatione voluntatis, ut supponitur.

8. *Dividitur auxilium efficax in physice et moraliter efficaciam.* — Quinto, dividi potest auxilium efficax in physice et moraliter efficaciam. Duobus autem modis possunt hæc verba *physice et moraliter* in præsentem accipi et applicari, scilicet, vel ut significant diversos modos causandi, quos supra in auxiliis gratiæ respectu liberi consensus distinximus; vel ut significare possunt connexionem gratiæ efficaciis cum libero ejus effectu, quæ interdum potest esse moralis, interdum vero physica. Et utroque modo possunt in præsentem verba illa accipi; et juxta illos duos sensus, hæc partitio in duas potest subdividi; et in hoc priori quidem sensu hæc quinta divisio datur, et potest imprimis applicari ad habitus gratiæ. Nam de illis docent omnes, absque opinionum varietate, esse physica principia actuum gratiæ: nihilominus tamen omnes etiam fatentur habitum non esse gratiam efficacem, sed tantum de se sufficientem in suo genere, quia non habet semper et infallibiliter conjunctum actum; habitibus enim utimur cum volumus. Solum lumen gloriæ posset dici gratia efficax, quia efficaciter et inevitabiliter inducit visionem, et consequenter etiam habitus charitatis in patria eandem efficacitatem inducit. Verumtamen illa efficacitas non est circa actus liberos, conservando libertatem eorum, sed inducendo necessitatem, et ideo non pertinet ad efficaciam gratiæ, de qua nos tractamus, sed dici potius debet efficaciam gloriæ.

9. Nunc vero datur illa divisio de auxiliis actualibus, de quibus agimus; nam inter hæc aliqua esse possunt quæ, licet moraliter tantum causent, efficaciam nihilominus sunt, quia in illo suo causandi modo infallibilem habent connexionem cum effectu, et hoc modo (juxta

infra dicenda) vocatio congrua, et in universum auxilium excitans opportunum, est auxilium efficax morale, quia ejus causalitas solum est moralis, ut lib. 3 ostensum est; auxilium autem adjuvans actuale, seu per modum influxus, est etiam efficax, quia nunquam separatur a suo termino, et est physicum, quia suo modo physice inducit effectum, quæ sunt clara, juxta principia auxilii excitantis et adjuvantis a nobis posita. Qui vero auxilio excitanti tribuunt causalitatem physicam in consensum, dicere consequenter possunt illud esse interdum efficax in dicto sensu, id est, causando physice, non excludendo moralem causalitatem, quia, juxta illam sententiam, utraque convenit auxilio excitanti. Et ita, juxta eandem sententiam, non oportebit membra hæc distingui semper realiter, sed tantum formali ratione, seu consideratione, eodemque modo poterunt etiam gratiæ actualiter adjuvanti applicari. Alii vero, qui non ponunt auxilium efficax in motibus gratiæ excitantis, seu vocantis, neque in aliquo actu vitali nostro, sed in sola motione prævia a Deo indita, forte non admittent divisionem hanc in dicto sensu, quia motionem illam non moraliter, sed physice agentem inducunt, et sine illa aliam propriam efficacem gratiam non admittunt, quæ præveniens sit. Nam de concomitante, ut dixi, non controvertitur, præterquam quod illa, eo modo quo causat efficaciter, et distinguitur ab excitante et physice inducit effectum, ut dictum est. Verumtamen de hac opinione et ejus fundamento in discursu hujus libri tractandum est.

10. *Divisio sexta.* — Sexta igitur divisio addi potest, juxta alium sensum prædictorum verborum. Auxilium enim gratiæ tunc dicitur efficax, ut supra dixi, quando habet effectum liberi consensus infallibiliter conjunctum. Hæc ergo conjunctio dupliciter potest esse infallibilis, nimirum physice et moraliter. Physicam nunc voco conjunctionem seu infallibilem consecutionem effectus, quoties adeo necessaria est, ut omnino repugnet, et contradictionem implicet a tali auxilio effectum separari, sive illa connexio fundetur in prævia causalitate physica, sive in morali congrua, sive in concomitante auxilio, et sive illa infallibilis consecutio sit ex natura rei, sive ex aliqua suppositione. Et hæc etiam dici potest efficaciam simpliciter, id est, quæ nunquam deficit, nec deficere potest. Talem autem gratiam efficacem esse possibilem, ex

dictis in capite primo libri præcedentis, supponimus; qualis autem sit, et unde oriatur illa connexio, in discursu hujus libri videntum est. Moralem autem connexionem appello, quando, ex circumstantiis vel aliis causis concurrentibus, semper sequitur talis effectus, quamvis consecutio talis ac tanta non sit, ut ex aliquo intrinseco principio repugnet effectum non sequi. Sic enim tentatio vehemens in natura lapsa et carente speciali Dei auxilio, potest dici moraliter efficax ad trahendum hominem in pravum consensum; ergo multo magis potest auxilium gratiæ esse moraliter efficax ad bonum consensum in nobis efficiendum. Unde hæc moralis efficacitas, comparata ad priorem, dici potest minor, et quodam modo secundum quid; ideoque in hoc genere efficaciam moralem possunt esse gradus ad eum modum quo, in victoria gravis tentationis, vel observatione omnium præceptorum, supra, lib. 4, id explicuimus. Nam interdum dici potest auxilium moraliter efficax, quia ut in plurimum ac fere semper effectum inducit, licet interdum deficiat, sicut dicitur morale periculum, in quo frequenter caditur, licet non semper accidat. Aliter vero cogitari potest auxilium efficax, quod nunquam omnino privatur effectu, licet possit, quia nullam intrinsecam repugnantiam involvit. Non videtur enim dubium quin appellatio auxilii efficacis omnem hanc amplitudinem et varietatem admittat. An vero omnes hi modi auxilii efficacis in re ipsa dentur, in discursu hujus libri tractandum est.

11. *Ultima divisio.* — Septimo, dividi potest efficax auxilium in illud quod de se, et ex intrinseca ac sola sua virtute, est efficax, et illud quod tantum in præscientia Dei est efficax, et sub illo respectu confertur. Solet autem hæc divisio proprie dari de auxilio efficaci prævio. Nam, ut dixi, in auxilio mere comitante non habet difficultatem efficaciam, quia in illo virtute involvitur cooperatio liberi arbitrii. Unde, cum tale auxilium comitans sit ipsemet influxus actualis Dei in ipsum opus liberum, de se et intrinsece habet ut sit efficax, quia per se habet ut non separatur a termino; non tamen proprie dicitur sola sua virtute esse efficax, nisi dictio *sola* non excludat concomitantia, quia tale auxilium sine cooperatione liberi arbitrii efficax esse non potest, cum sine illo neque esse possit; unde etiam fit ut secundum membrum divisionis huic auxilio, prout in re ipsa dato, non recte accommodetur, quia nunquam potest esse efficax in

sola præscientia, cum, eo ipso quod datur, necessario efficax sit. Dixi *in re ipsa dato*, quia, si ut oblatum tantum consideretur, de se tantum est sufficiens, et in præscientia potest esse efficax, ut postea videbimus.

12. Proprie vero datur dicta distinctio de auxilio præveniente, quod a solo Deo fit in nobis sine nobis, quam partitionem nunc præmittimus, non ad probandam vel reprobendam illam, hoc enim est fere totum præsentis libri opus, sed ad terminos explicandos quibus necessario usuri sumus. Illud ergo auxilium dicitur de se efficax, quod positum in voluntate virtute sua facit illam consentire, determinando utique illam ad consensum, ita ut intrinsece repugnet naturæ talis auxilii esse in voluntate, et non sequi statim ejusdem voluntatis consensum, non ratione alicujus præscientiæ, vel alterius suppositionis, quæ liberum usum voluntatis humanæ involvat, sed ex connaturali modo agendi et movendi talis auxilii. Et ad explicandum hunc modum agendi et movendi voluntatem, solet hoc auxilium vocari prædeterminatio physica, quam vocem infra, cap. 6, ex professo declarabimus. Auxilium autem præveniens efficax tantum in præscientia dicitur illud quod, positum in voluntate, non habet vim ita determinandi illam ad unum, ut absolute repugnet, posita illa motione, non sequi consensum. Fit autem tale auxilium efficax, quando in re habiturum est effectum, et Deus id præsciens ea intentione dat tale auxilium, ut infallibiliter talem effectum simul conferat. Tunc enim tale auxilium, et in re ipsa efficax futurum est, quia non separabitur ab effectu, et datur ut efficax, quia sub illa habitudine et intentione tribuitur; non videtur ergo dubium quin uterque istorum modorum ad denominationem et veritatem auxilii efficacis sufficiat. An vero uterque sit possibilis vel sufficiens ad efficaciam auxiliorum gratiæ explicandam, vel ad salvandam ex una parte perfectam Dei providentiam et prædestinationem, et ex alia humanam libertatem in operibus gratiæ, hæc sunt a nobis in discursu hujus libri declaranda.

## CAPUT II.

UTRUM AUXILIUM EFFICAX SIT AD SINGULOS ACTUS PIETATIS NECESSARIUM, VEL SOLUM AD ALIQUOS, VEL ALIQUAM EORUM MULTITUDINEM.

1. *Quæstio de auxilio efficaci præveniente.* — Hæc quæstio non habet locum in auxilio efficaci

pure comitante, quia de illo certissimum est esse necessarium ad singulos actus, quia est ipse actualis influxus Dei in actum, sine quo impossibile est aliquem actum fieri, et illo posito, impossibile est non fieri, quia est ipsa via seu actio ut est a Deo; unde si actus sit supernaturalis, necesse est talem influxum esse auxilium efficax gratiæ: est ergo necessarium ad singulos actus pietatis. Et de hoc aliqui exponunt Augustinum, lib. de Corrept. et grat., c. 11, cum dicit dari nobis quoddam auxilium quo voluntati, non tantum datur ut possit, si velit, sed etiam datur ipsum velle. Sed, licet hoc vere dicatur de hoc auxilio, non hoc tantum intendit Augustinus, ut libro præcedenti, cap. 1, ostendimus. Quæstio ergo est de auxilio efficaci præveniente, quo Deus facit ut velimus vel faciamus, juxta modum loquendi Augustini, lib. de Grat. et liber. arbitr., c. 16 et 17, et sæpe alias, fundatum in Scriptura, ut sæpe vidimus et dicimus iterum in cap. 4, et in hoc sensu de auxilio efficaci tractabimus, ne declarationem hanc sæpius repetere necessarium sit.

2. *Respondetur.* — *Argumentum primum.* — *Secundum.* — *Tertium.* — *Quartum.* — Dixērunt ergo aliqui hoc auxilium efficax non esse necessarium, nec dari ad singulos actus supernaturales, sed ad duos tantum effectus, scilicet, vel ad diuturnam perseverantiam in gratia, vel ad finalem pœnitentiam, quæ hominem in statu gratiæ mori faciat, quam sententiam, ex mente Augustini, defendit modernus ille, qui controversiam hanc de auxilio efficaci componere voluit, et in eum finem libellum scripsit, in quo negat divisionem auxilii in sufficiens et efficax, ut supra cap. 1, lib. 3, retuli. Ille enim non videtur negasse possibilitatem auxilii efficacis, ne omnino Augustinum negare videretur. Negavit ergo necessitatem auxilii efficacis ad singulos actus, illamque ad illos duos effectus restrinxit, quia illos tantum de Augustini mente esse credidit, quod potest suaderi primo, ex eodem Augustino, de Corrept. et grat., cap. 11 et 12, ubi hanc differentiam constituit inter hominem lapsum et Adamum in statu innocentiae, quod huic datum est auxilium quo posset perseverare, si vellet, non vero quo perseveraret; nunc autem datur hominibus lapsis et electis, non solum ut possint, sed etiam ut perseverent. Et hoc auxilium significat in hoc statu esse maxime necessarium, propter difficultatem bene operandi in illo contractam ex peccato originali. Hinc ergo colligi videtur hanc necessita-